

cet cum *κατοπτρον* idem sit, quod speculum; *κατοπτριζω* idem denotat, atque *imagines & reflexiones facio in modum speculi*, aut, tanquam in speculo, sicut apud Plutarchum legitur, *κατοπτριζων οἱ λιθοὶ τὴν ἡγεμονίαν* (observante *Scapula*,) quando sol, nubi roridæ & translucidæ atque aliquo modo opacæ oppositus, radium in eam emittit, qui receptus in eam, inde in oculum hominis reflectitur: qua ratione *κατοπτριζόμενον* dicetur illud, in quo imagines aut reflexiones fiunt ab alio, quod lucidum est, quodque receptum radium in oculum alterius reflectit, instar speculi: prout etiam *Aristoteles Lib. III. Meteorol. Cap. IV.* ubi de iride agit, *speculi* in nube frequentem injicit mentionem. Quando igitur Paulus se & sui similes dicit *κατοπτριζόμενος τὴν δόξαν Κυρίου*, vis verborum & usus loquendi postulat, ut facta eorum, quæ ad corporalem lucem proprie pertinent, ad spiritualem sensum applicatione, cognoscamus exhiberi Paulum cum suis, tanquam illuminatos spiritualiter, imagine lucis supernaturalis in ipsis recepta & inde reflexione facta ad alios.

XXXV. Quod si contextum spectes, res denique huc reddit: Paulus & socii, a Christo, qui est imago Dei lucidissima, lucis spiritualis, quam habet, velut radium in ipsis emittente, ita illuminantur, ut ipsi lucem receptam velut reflexione facta refundant in alios: aut, remota metaphora: Paulus & alii una cum ipso, cognitionem rerum divinarum, & arcanam Dei sapientiam, per Christum seu per revelationem a Christo sibi factam, naucti, eandem communicant aliis & publice notam faciunt, ut & alii eandem impetrare per ipsis possint. Sic autem deinde etiam facile intelligentur verba sequentia, quibus dicitur, Paulum & cæteros *transformari ad eandem imaginem de gloria in gloriam*. Nempe per sapientiam illam spiritualem & cognitionem rerum divinarum accedunt ad similitudinem Christi atque ipsius Dei, & habent intra se formam aliquam a Christo ad sui similitudinem in ipsis expressam; ea que ratione progressus fit ab una gloria ad aliam, prout lux una mediante speculo aut speculis pluribus multiplicata apparet, cum lux recepta refunditur aut refulget. Effectus autem

D 2

ille